

* P * V * I * S *

* 1 * 6 * 2 * 4 *



- I. Paraphrasis Psalmi LXXXII M. Zachariae Wennenezeri
- II. Psalmi Davidici 121. 91. 125. 124. Gregorij Bersmanni.
- III. Oratio de Christo recens nato Joachimi Flemingi
- IV. Lessius Casareus Cyriaci Herdesiani sup obitum Rudolphi Imperatoris
- V. Soteria Dn. Johanni Georgio Saxonum Duci Academiae Wittebergensis.
- VI. Votivus applausus Dn. Htz: Principi Ansalino administrationem principatus Cisalpinii suscipienti Frederici Theodori Gorlicio
- VII. Theophrastus in qua ad Dn. Augustum Principem Ansalinum Thomazij causa servestanae iuresum M. Petri a Jena.
- X. Epithalamium Marci Frederici Wendelinii ad Dn. Augustum Ducem Brunovicensium.
- II. Epithalamium ad eundem principem Jani Cremeri.
- III. Ecloga Gregorij Bersmanni Rudolpho Principi Ansalino sponso scripta.
- XI. Theophrastus in qua ad Dn. Rudolpho Princ: Ansalino scripta a Collegis Scholae Servestanae.
- XII. Epicedium in obitum Dn. Rudolphi Princ: Ansalini Abrahami Cremeri.
- XIII. Strena Poetica Christophori Heroldi.
- XIV. Querele Saravictoris et Biomeae.
- XV. Gregorij Bersmanni in pontem sablicium Debaensem Carmen Graecum.
- XVI. Joachimi Flemingi Piculum Scholasticum.
- XVII. Abrahami Vrici Diagrapha Laboris Scholastici.
- XVIII. Coronis Collegio Disputatorio et Oratorio imposita.
- XIX. Typus Depositionis Scholasticae Frederici Widebrami
- X. Bulla Amuletum M. Bloey.
- CI. Oda honoribus Dn. Danielis Burchardi Dn. Johannis Christophori Hartmanni. Dn. Philippi Meudligeri. Dn. Matthaei Coleri Doctorum scripta.
- XXII. Gratiarum Actio M. Johannis Copperij post Magistrum autum pronuntiata.
- XXIII. Epigrammata Cerevisiae Servestanae Danielis Burchardi.
- XXIV. Dehortatio a Calumnias
- XXV. Germania ad Principem epistola Ad: Martino Pratorio.
- XXVI. Votum Scholae Vesaliensis
- XXVII. Theophrastus in qua ad Dn. Johannem Stunium.
- XXVIII. In honorem Magistrum Dn. Johannem Gualtero
- XXIX. Trizinta Jenerum M. Christiani Galli Italosaxonis.
- XXX. Adami Forweroy Frederici Strenis Ernesti Wulstorgij.
- XXXI. Eorundem
- XXXII. Juvenum 37. M. Theophili Carisseri
- XXXIII. Johannis Cremeri.
- XXXIV. In honorem Notarii Valerij ni Gelani.
- XXXV. Strena anagrammatum quadrifida Christophori Heroldi.
- XXXVI. In nuptias Dn. Wolfgangi Amlingi 4. V. D.
- XXXVII. Eiusdem Johanni Amlingi Nicolai May.



DIAGRAPHÉ LABORIS
SCHOLASTICI.

sive,

HERCULIS
SCHOLASTICI AD-
UMBRATIO BRE-
VISSIMA.

Carmine heroico concepta, atq; in
schola COTHONIANA, in conventu
solemni, memoriter pronunciata:
cùm in B. STURMII CONRE-
CTORIS locum intro-
duceretur

ABRAHAMUS ULRICUS
SERVESTANUS.

a. d 8. Octobr. Anno 1617.

SERVESTÆ
Excudebatur typis Zachariæ Dörfferi,
ANNO
M. DC. XVIII.





Magnifico, Reverendo, Amplissimis, Prudentissimis, longoq; rerum usu exercitatisimis & doctissimis viris,

Dn. JOHANNI STALMANNO, Illustrissimo Principi Anhaltino, Dn. LUDOVICO, &c. à consiliis primariis.

Dn. ADAMO STRESONI, Ecclesiarum Anhaltinatus in diœcesi Cothoniana Inspectori vigilantissimo.

Dn. BALTHASARI STURMIO, &
Dn. PAULO BERGMANNO.
Coss. Reipub. Cothonianæ gravissimis.

Dn. DANIELI RAUCHIO, ejudem Reipublicæ Camerario dignissimo.

favitoribus & patronis suis magnis:

Hanc scholastici laboris *ομιαρεαφια*, testandæ gratitudinis & declarandi studii ergo

inscribit ac strenæ loco offert

Auctor.



(* * *)



Vid me compulerit vestras resonare per aures
Carmina, quæve novus mentem stimula-
vit ardor

Aönium penetrare natus : quamvis mea
nondum

Bellerophontæi laticis perfusa liquore
Calliope, proserpat humi, notaq; pererret
Margine, grandifono fugiens se credere ponto.
Quæ me tam subitis, inquam, persuasio remis
Ante tot eximiûm perduxerit ora virorum ;
Cur novus heic adsim : quo tandem munere ludum
Aggrediar, Spartæq; novum quo jure capeslam
Munus, non equidem credo, quod pluribus altâ
Principiò teneat memorare indagine verbis,
Sic voluisse DEUM, sic & statuisse patronos,
Ac te, præstantum decus, ô STALMANNE, virorum,
Gloriaq; & columen LODOVICI principis aulae,
Sat fuerit dixisse, DEI nam munere præsens
Me schola jam recipit : me præficit ipse Senatus
Huic præceptorem ludo, numeroq; docentum
Adnumerat : te dante, scholæ novus advena classem
Erudio, quod sit felix faustumque, secundam.

At quæ materies tandem, qui carminis ordo
Ducat ad immisæ me verba præambula Spartæ,
Dum circumspicio, vix se mihi dignior offert
Materies, quàm si tenuis modulamine Musæ,
Quam nunc ingredior, tentem perstringere vitam,
Atq; graves narrare vices, quæ nempe Scholarum
Sit facies, quotnam curæ, quàm mille laborum
Pondera circumstant versantem in pulvere ludi.

A 2

Summe DEUS, mihi dexter ades, mihi suffice venam,
Ac faciles numeros, ut, quum potiora lacertis
Pando, vacillantes firmet tua gratia vires,
Et commonstret iter, crepero ne tramite ducar
Anxius, aut errans abrupta per invia flectam:
Sed mea, fulta tuo quæ gaudet munere vela
Pandere, speratâ confidat puppis arenâ.

Vos quoq; COTHONII proceres, vos juris & æqui
Lumina, præsentem qui convenistis ad actum:
Et tu sancta cohors præconum: tuq; juventæ
Docta manus, quotcunq;, licet non passibus æquis,
Tenditis ad summi geminata cacumina montis,
Attentas præbete aures, animisq; favete!
Jamq;, Scholæ quæ sit facies, quæ pulveris hujus
Gratia, dum tenui conor deducere versu;
Nescio qui pavidam voltus, quæ monstra fatigent
Horrida, quive novus conantem terreat ordo?
Stant oculos circum curæ, mentemq; pererrant
Damna tot, & casus, ac tot monumenta laborum,
Queis cum conseruisse manus, queis obvius ire
Cogitur infelix pueri moderator inertis.
Et quamvis meminisse animus tot jurgia, plagas,
Morbosq; cladesque, & mille pericula rerum:
Tum quæ tempestas ludi, qui sudor, & algor,
Et mœror gravis, & mordaces pectoris æstus
Sorbendi, atq; animo quæ sint præsentem ferenda,
Horreat, & quamvis os dicere cuncta recuset;
Commeminisse tamen, vestrasq; referre per aures,
Et locus, & ratio mandati muneris urgent.

Unde meis ergo ducam primordia ceptis?
Quid primo dicamve loco? cunabula causæ
Istius unde petam; certis ut singula membris

Expe-

Expeditam, iustoq; fluant meditata tenore?
Se puer ecce rudis, tanti pars maxima belli,
Objicit, ignarus rerum, cui nullus Apollo,
Nulla per aetatem fuit unquam cognita Pallas.
Turpis, iners, segnisq; puer, quem noxia matris
Blandities, & mollis amor corrumpit, & artis
Nondum perdocuit sanctos perferre labores.
Quum datur ille scholis, ut docti cura magistri
Incultum pectus doctrinâ, moribus, arte
Formet, & extemplò Parnassi ad culmina ducat;
Proh superi, proh quanta subit discrimina! quantum
Temporis impendit miser, infractiq; laboris,
Pectus ut ex aliqua tyronis parte figuret!
Et tamen haud matura satis, nec idonea Musis,
Nec satis ingenuis censetur moribus aetas
Apta, nisi ad justam succreverit antè staturam,
Atq; sodalitiî pravo puer agmine ductus,
Turpiter ad quosvis præceptis adoleverit ausus.
Ite puer, quem vita ferox, & foeda libido
Per quodcunq; nefas permiserat antè vagari,
Legibus obstrictum nullis, vix pectora ludo
Adferet, ingenuis unquam reparanda Camœnis;
Vix doctos colet ille viros, fidumq; magistrum
Quo fas, quove decet puerum, tractabit amore.
Deditus antè idem fuerat ludisq; jocisque,
Gnaviter & ferias sectatus, & otia vitæ
Liberioris, amans pravi, cupidusq; nefandi:
At nunc, ingenuas tandem perductus ad artes,
Nil tentare audet: jam non adsueta labori
Corda caputq; refert: nunc hoc, nunc pertimet illud.
Plurima cunctanti torpor subrepat, & horror
Confestim pueri cunctantis adobruit artus.

Traditur ecce liber. verum non volvere libros
Antè puer didicit: non inspexisse tabellas
Desidis hunc olim docuerunt otia vitæ.
Impiger ut faltem propostis lumina chartis
Admoveat, docilesq; libris intendat ocellos;
Heu quantis opus est stimulis, calcaria quanta
Noster hic Alcides adhibet! sed vomere casso
Littus arat, vacuumq; laborredit actus in orbem.
Et jam tempus adest, ut tyro noscere discat
Litterulas, collecta, inquam, quo syllaba vocem
Ordine, quoq; frequens absolvat dictio sensum.
Nunc & litterulas sollerti pingere dextrâ
Ordo jubet, variisq; notas effingere formis:
At quàm difficili constant hæc omnia nodo,
Quàmq; ea discenti pariter, quàm dura docenti
Eveniat, cumulata gravi provincia curâ;
Pro me, qui trivio multum sudastis in isto,
Dicite: namq; fidem superat, vix unus & alter,
Hæc dum percipiat, tyroni sufficit annus.
Post ubi GRAMMATICEN, doctas quæ monstrat ad artes
Prima viam, puero satagit præceptor inertî
Tradere, dumq; docet præceptor, & ordine tractat
Nomen, Pronomen, Verbum, partesq; sequentes,
Et Genus, & Species, & Casus, atq; Figuras,
Cumq; Modis Numeros & Tempora: dumq; retexit
Quo flectenda modo veniant cum Nomine Verba;
Heu quàm dura miser non sustinet ille laborum
Pondera? quàm se non heic torquet? ut omnia certò
Percipiant animi dociles. sed in agmine tanto
Vix unus vacuum tractanti commodat aurem.
Cum docet, ecce alio discantis rure pererrat
Sensus, & ignotis mens conversatur in arvis,

Nil

Nil attentâ operæ. quin suavem tædia somnum
Conciliant, segnesq; sopor mox occupat artus :
Nec mora, mox ambas securus stertit in aures.
Hinc durum confurgit onus, novus atq; docenti
Fit labor, ut pueri stertentis lumina somno
Eripiat : singultu aures, clamoribus auras
Implet, ut è torpore animum revocetq; , trahatq;
Ad studia, & tetricum jubeat relinquare somnum.
Sed quid fit? torpore piger, somnoq; sepultus
Endymion, vix membra movens, en brachia tollit,
Oscitat, atq; oculos mulcet : nec percipit aure
Verba tot, atq; imo ruptas de pectore voces.
Quod si sponte suâ se forte in luminis auras
Experrectus agit, mentemq; advertere dictis
Cogitur, ignarus tum quæ sint tradita primo,
Quæve imo tractata loco, quàm turpiter hæret,
Nec quicquam meminisse valet. Dictata resumit
Præceptor, quantumq; potest, & tempora quantum
Concedunt, iterare studet præcepta legendo,
An puer excipiat, memoriq; ea mente recondat.
Vanus at iste labor: siquidem dilapsa per auras
Cuncta volant, iterare vicem, seu rumpere vocem
Tentet, & immensum frustra consumere tempus.

Quid tibi tunc animi, præceptor? quive, dolenti
Tot simul & curas, ac tot periisse laborum
Admotas sine fine faces, sub pectore sensus?
Et tamen, officio ne te quis forsitan alastor
Non fecisse satis pleno contendat hiatu,
Impiger exorsam cogaris texere telam,
Ac duras iterare vices, & rumpere voces,
Nilq; excepturo tam multa infligere trunco.
At quis tam facundus erit, qui dicere versu

Tam

Tam durum fat possit onus, vanosq; labores
Pro meritis culpae suis? cui flumina linguæ
Tanta fluunt, ut damna queat comprehendere voce,
Quæ sibi conciliat, dum summis nititur ausis
Præceptor dociles puerorum reddere mentes.
Membra labant, vox ipsa, frequenti exercita motu,
Atterit & vires dicentis, & omnia turbat
Membra, ac paulatim ceu lentâ viscera tabe
Consumit. vix ipse tamen, quem credula fructum
Spes sibi dictârat, puerorum in pectora transfert.
O vanos ausus! ò sortem! ò aspera fata,
Et spes fallaces doctorum! ò cœca iuventæ
Pectora, nec monitis, nec vi reparanda laborum!
Si quis, mentis inops, asinum duxisse choræas
Cogat, & informem membris, hirtumq; camelum
Æmonias tentare lyras, & tangere plectrum
Perdoceat, nōne iste miser va grande laborum
In se vertit onus, populeq; exploditur omni?
Attamen in sese recipit minùs ille negoti,
Curarumq; minùs, quàm si docuisse labore
Informes pueros, etenim, licet impete vano
Exercens asinum nihil, informansq; camelum,
Proficiat, vacuasq; labor jactetur in auras;
Haud ipsi tamen ulla suis injuria surget
Pro meritis, nec sœva asinus, nec dira camelus
In moderatorem jacent convitia fidum.
At belli pueri, quum nos per tædia longa
Vexavere nimis, multis cruciatibus auctos,
Quàm nos præterea foedè, quàm turpiter urgent!
Invenias aliquot, qui te deludere ronchis,
Aut risu ructuq; tuos pensare labores
Non timeant. queis nempe artis persuasio præcox
Impo-

Imposuit, supraq; suos quid scire magistros
Alterius demens persuasit cura magistri.
Hos tu nec verbis, quantumlibet ore paterno,
Corripies, nec verberibus: manet illa per ævum,
Degenerumq; animos rabies præfracta nocendi
Occupat, infaustrisq; micat vis effera signis!

At quid ego hæc rapidis nequicquam credere ventis
Cogito? quove ingrata trahit me gratia pubis,
Conantem reliquas ludi perstringere curas?

Nondum finit onus, necdum se tædia noster
Exsuperasse putet, dum scribere, dumq; nigellas
Cadmî nosse notas: dum Verba & Nomina inertem
Flectere discipulum docuit: labore ecce laborem
Trudit, & innumeris complura negotia curis
Agglomerant, semper quod agat, quod mente volutet,
Informator habet, non est heic cernere finem.

Tempus adest, & jam discendi flagitat ordo,
Ut puer Ausonias audire & reddere voces
Discat, & in Latia formetur lingua loquela.
Sed quantum sibi sumat onus, quantasq; magister
In se convertat curas, dum verba Latina
Fundere tyronem doceat, vix paupere venâ
Adsequor, ingenium superat res ista pusillum.
Nam quum lingua rudis poliatur, amore loquendi
Perspicuè, viresq; suas, exercita multum,
Accipiat, multumq;, viris adsueta disertis,
Crescat, & assiduo tandem formetur ab usu:
En puer, ut tenera consuevit ab usq; iuventa
Materno sermone uti: mox inde paratum
Omnem conquirat dicendi, omnemq; loquendi
Materiem: doctorum etiam consortia vitans
Gaudet apud similes patriâ garrere loquelâ.

B

Quod si fortè unum, sic deposcente magistro,
Cogatur verbum proferre latinius, instar
Supitis aut trunci longo stat tempore mutus,
Incertus quid agat, num respondere jubenti
Audeat, aut planè quicquam dixisse recuset.
Inde diu secum luctatus, stridere tandem
Incipit, at sensum ne fors postrema solœcum
Syllaba prostituat, submisso murmurat ore,
Cumq; jubeat clarâ præceptor voce loquentem
Dicere, mox repetens, & verba cadentia tollens,
Verborum portenta strepit: nihil illa latini,
Atq; nec autores redolent, quos audiit antè.

Heic se revera miserum videt esse magister,
Dum tot perfunctus curis, tantoq; labore,
Vix ad Grammatices sese componere normas
Discipulum sentit, dum vix tria percipit ipsum
Absq; gravi vitio potuisse effingere verba.
Dissimulandus ei dolor est, altèq; premenda
Ira, sed & studio sermones sæpe trahendi
Longius, ut puerum tali stratagemate tandem
Ad Latii possit sermonis ducere formas.

Jamq;, STILUS sequitur, quem collaudanda vetustas
Dicendi artificem non vanis laudibus ornat,
Et meritò. nam si rationis acumine, & ipsa
Re rem, judicii certo fundamine fultus,
Expendas; raro quisquam laudabile quicquam
Præstitit absq; Stilo: nullâ ratione paratur
Copia sermonis major, potiôrve loquendi
Ubertas. Sed quantâ tibi, qui talia fortè
Discipulum tentare jubes, incommoda surgunt?
Quàm multis opus est stimulis, ut tyro vel unum
Scribat epistolium? Quod si componere versus

Debe-

Debeat, ac facili carmen deducere venâ,
Ecce nihil poterit quicquam, nisi fortè magister
Adsideas, & verba feras, & singula dictes
Argumenta: ipsi non est inventio curæ
Carminis, aut methodus nec, quo dictata labore
Excipiat, multùm curat: neq; pensitat unquam
Tale quid an proprio possit componere Marte.
Fac tamen, injussum, quantumvis tempore sero,
Conscripsiste aliquid: num sic immunis ab omni
Informator erit curâ? num deniq; totum
Sic cessabit onus? Quin emendatio scripti
Ipsa fatigabit multùm, multùmq; facesset,
Quamvis principiò videatur parva, negoti.
Namq; ut Grammaticis non rectè accommoda normis
Deleat, ut scriptum mutet, mendisq; refertum
Corrigat, obscuris limam, tetrisk; nitorem
Addat, & incultis cultum: proh quanta laborum
Pondera non sentit, quæ non incommoda perfert?
Ipsum luminibus saltem percurrere scriptum,
Res est plena oneris. quantò majora sequentur
Tædia, si totum cupias percurrere scripti
Contextū, & cunctis mendas reprehendere mēbris?
Haud tamen optatum tyro cum fœnore fructum,
Percipit, assiduè quantumvis omnia dictes
Argumenta ipsi: licet omnia verba ministres
Inculcesq;: aliena magis, quàm propria curans
Tyro, nec attendit quicquam, neq; discere quicquam
Est animus, quocunq; modo, quocunq; labore
Aggrediari opus, stolidumq; refingere tentes.
Hæccine curarum seges? hæccine tetra laborum
Colluvies? frustra totos insumere Soles
Clamando, frustra q; omnem curamq; fidemq;.

Et studium posuisse? docendo operamq; oleumq;
Consumsisse? nihil verò effeciste, docentis
Respondere aliquâ quod possit parte labori.
Næ, mihi si centum linguæ sint, oraq; centum;
Haud tamen omnigenas curarum attingere curas
Sufficerem: quin ipsa dies, & verba loquentem
Destituent me, credo, prius quàm cuncta laborum
Pondera, quàm cunctos possim recitare labores.

A LTERA jam sequitur, non contemnenda laboris
Nostri pars, nunc ordo jubet perstringere MORES
Discentum simul, & vitiorum intendere fontes.
Sed quò me vertam? quo carmine, quâve Thaliâ
Ordiam? aut finem quo numine fortiam? omnis
Hæret in incerto mea mens: namq; ista nec usus
Ignarum docuit: non experientia rerum
Esse parem tanto me fecerat ipsa labori.

Ergo quid incipiam? tantæ succumbere moli
Num juvet? at satiùs fuerat, nihil esse loquutum,
Pangere quàm multis captum superantia verbis.
Expertis satis estis onus, qui pulveris hujus
Ipsi trivistis saxum, quos lumine cerno
Præsentes isthæc pressisse sedilia circum:
Te BERGMANNE, inquam, te præclarissime STURMI,
Acte, VIERTHALERE, mei Collega laboris:
Vos quæ sit morum ratio, quæ cura regendi,
Dicite: nam tales versu perstringere mores
Tempus, & ipsarum vetat ignorantia rerum.

Sit mihi fas potiùs, quæ nostrum PRÆMIA munus
Compensent, recitare; imò perstringere paucis.
Gratia rara, labor certus, cum pulvere pædor,
Præmia sunt hujus certissima muneris, olim
Nescio quis cecinit: sed quàm sint consona vero,

Scili-

Scilicet innumeris res est comperta querellis.
Nam cum formandi se fregit penè labore
Præceptor, nec verba puer, nec verbera curans,
Quicquam profecit, grandis mox ira magistro
Nascitur, inq; caput convertitur illa docentis.
Si quid laude puer dignum perfecit, id omne
Non tibi, sed puero cedit: tua gratia nullâ est
Si quid patravit recti. sin fecerit idem
Perversè, contraq; boni rectiq; tenorem,
Omnis culpa tua est, in te faba cuditur omnis.
Nemo satisfecit cunctis, atq, omnibus æquè
Nemo satisfaciet, quamvis se rumpere tentet.
Si patri, nondum matri: si deniquè matri,
Jam nondum patri. quod si præceptor utrisq;
Fortè satisfecit, multoque labore parentum
In se convortit mentes, animosq; benignos:
Ecce Δοκησίσοφος quidam, qui vertice solus
Astra petit, solumq; putat SE poste recessus
Thespiadum penetrare, epulisq; accumbere divùm.
Ille, inquam, miserè seductos esse parentes
Autumat, incautam quod pubem talibus ausint
Commendare viris, qui non discernere verum
A falso possint ipsi, non ore loquaci
Projicere ampullas, & sesquipedalia verba.
Scilicet is solus rebus succurrere lapsis
Promptus adest, solusq; Scholæ fulcire ruinam
Gnarus, discipulos longè superare magistrum
Efficit, elatæ solius munere linguæ!
At nos ignari, quorum præcordia Titan
De pejore luto finxit, quam multa locamus
Tempora, quamq; prius multos consumimus annos,
Nostro quam talis nascatur ab ordine Proteus?

Sed quò dilabor? quò me tam tristia raptant
Præmia? quòve trahunt invitum munera ludi?
Mens animi potiùs tenebrarum immergere fundo
Omnia, quàm multis in apricum ducere verbis
Compulerat, verùm series & muneris hujus
Conditio tacuisse negant. nam talia ludus
Præmia pro meritis, tales persolvit honores!

Dixerit heic aliquis: Cur tu, quum talia ludus
Secum damna ferat, quum tanta incommoda portet,
Totq; sit implicitus curis: cur munia ludi
Expetis, ac tanto caput objicis ipse labori
Infirmum? cur pulvis inerte ducit inanem,
Ut non posthabito captes sublimia ludo,
Et sceteris opes, ac desidis otia vitæ?
Sic voluisse DEUM, dixi: divinius omen,
Non homines, tanto me præfecisse labori
Stat mihi certa fides: quamvis, quod munere tali
Fungar, perq; homines contingat, perq; patronos
Hoc totum mihi cedat opus: divina voluntas
Attamen inprimis tanto me munere dignum
Fecit, ad hoc, inquam, mediis me duxit apertis.

Ergo nec insidias metuens, neq; toxica linguæ
Noxia formidans, totum me trado labori.
Hoc caput, hæc manus, hoc pectus, & omnia vobis
Devoveo, vobis studium promitto, fidemq;
Polliceor, vobis, inquam, quos lumine coram
Intueor, pietate viri, meritisq; celebres.
Quos si magnifico titulorum afflare paratu
Aggrediar, nimiâq; velim perstringere laude
Verborumq; strophis, vereor, ne fortè decori
Oblitus, gnathonum instar, captare favorem
Censear, ac placidis obtendere pallia ventis.

Non

Non ea fraus animo, mihi credite. namq; recusat
Talia noster honos, ne fors malè sanus agyrta
Audiar, aut stolidis eructans plurima verbis,
Dicar adulator, parasitus, hypocrita: dicar
Histrion, quiq; aliud linguâ, quàm corde volutans
Venum prostituat linguam, laudiq; paratam
Atq; vituperio pariter. nam tollere laude
Immodicâ benefacta virum: perstringere dotes
In faciem, falsisq; crepare encomia verbis,
Non laus, sed fraus est: nec honos, sed onus: neq; vires
Ista ferunt, sed virus habent, potiusq; ruborem
Incutiunt, obsuntq; bonis: ac talia vulgum
In decus & famam laudati sapiùs armant.
Et quid opus laudum technis? vir fortis, & idem
Strenuus, ac meritis præstans, non laudibus istis
Indiget, aut fucò: sed virtus omnibus illum
Per se commendat: virtus ad sidera tollit
Quamvis invitum, quamvis nil tale putarent.

Ergo nec in vestras operosa poëmata laudes
Pangere constitui, quamvis quod munere ludî,
Sic statuente DEO, per vos hoc tempore doner,
Carmine non parvas teneat persolvere grates.
Grates; non laudes. nec vestra modestia quicquam
Nostræ laudis eget, nec me mea Pieris amplas
Jussit in adspectum vestri producere laudes.
Sed potiùs spondere fidem, spondere labores
Convenit, ac studium: studio servire paratus
Adsum præsentì ludo: docuisse puellos,
Perq; minùs tritum ad Musas deducere callem,
Unus erit nostri scopus, unica meta laboris.

At tu, summe DEUS, nostræ spes unica vitæ,
Præsidiūq; decusq; scholis, qui numine sancto

Agmi.

Agmina tanta foves, ludiq; tueris alumnos.
O qui discentum coetus, qui spreta docentum
Nomina non spernis: da fausto fidere felix
Suscipiam, quod suscipio, Deus optime, munus.
Da vires, da summe parens & robora: nostrum
Ut benè cedat opus, teneræ quod amore juventæ
Suscipimus: largire bonos, pietatis amantes,
Ac dociles discentum animos: ac dirige ludum,
Neu quis fraudator, mandati muneris arva
Transiliens, ludum turbet, ludiq; ministros
Deprimat, ac laudes oppressis talibus amplas
Auferat, ipse tamen discentum commoda tardans.
Utq; magistratus etiam succurrere lapsis
Possit, & auxilium pressis intendere rebus,
Auxilio Deus ipse juva, ludiq; patronos
Consilio moderare tuo: te namq; juvante,
Aurea pax terris aderit: concordia ludum
Nutriet, afflictasq; Scholas: lis, visq; dolusq;
Deseret afflictos ludi, te dante, ministros!

D I X I.



Id 4206
g

ULB Halle

3

004 167 287



f
sb

Sik. 18 u. 25 nicht in FICA,
da Hschr. +90


8-14

24 VD 17

100-By
Jul. 01

M






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



XVII

an 76



E LABORIS
ASTICI.

CULIS

STICI AD-
TIO BRE-
IMA.

o concepta, atq; in
ANA, in conventu
riter pronunciata:
RMII CONRE-
ocum intro-
ceretur

IS ULRICUS
STANUS.

dr, Anno 1617.

VEST Æ
s Zachariæ Dörfferi,
N O
XVIII.

